

Les sources manuscrites de la théorie de la musique
(S. IX-XVI)

Berlin, Staatsbibliothek (D-B)
Ms. theol. lat. qu. 261, f. 32r-35v
Transcription : Christian Meyer
(avril 2004 – rév. octobre 2017)

32r

¹ Armonia est dulcis copulatio vocum, vel armonia est cum fistule organi per ordinem copulate legiptime tenent gratiam cantilene cordarumque servant aptam concordiam. ²Tonus est acuta enuntiatio vocis, est enim armonie differentia, que in vocis vel acentus tenore consistit. ³Cantus autem est inflexio vocis. ⁴Symphonia est apta vel suavis vocum copulatio, i. diatessaron, vel diapente, vel diapason.

⁴·F·ut, ·G·reut, ·A·mire, ·b·fa·h·mi·ut, ·C·solfareut, ·D·lasolmire-ut, ·E·lafamire, ·F·solfamiut, ·G·glasolfareut, ·a·lasolmire, ·b·lafa·h·miut, ·C·solfareut, ·D·lasolmiut, ·E·lafamire, ·F·solfamiut, ·G·glasol- fareut, ·a·lasolmire, ·b·fala·h·mi, ·c·solfa, ·d·lasol, ·e·la.

⁵ Dicto de singulis vocibus quibus tota armonia conficitur sufficienter, consequenter dicendum est de tonis, quibus intonantur et discernuntur antiphone, responsoria, introitus et omnis cantus ecclesiasticus necnon et alii cantus, qui secundum regulas musice componuntur. ⁶Videndum est ergo quid sit tonus, qui et quot sint toni et quibus nominibus habeant denominari, postea de principiis, finalibus ipsorum et de ascensu et descensu eorum et de differentiis et varietatibus ipsorum, et quomodo psalmi singulorum tonorum varietatibus intonentur.

32v

⁷Tonus secundum quod hic accipitur, est regula, que de omni cantu secundum principium, medium et finem dijudicat. ⁸Non enim potest quis iudicare de cantu cui tono subiaceat nisi prius audierit principium, ascensum et descensum et finem eiusdem.

⁹ Vel tonus est certa discretio principii et finis, ascensionis et descensionis cuiuslibet regularis cantus. ¹⁰ Regularis dictus est propter cantus quosdam irregularares, qui non servant primos limites neque metas, sed male et inordinate compositi, partim autentici sunt partim plagales. ¹¹ Et licet in finali alicuius toni terminentur, nullius tamen toni plusquam debent elevati vel depositi veraciter esse iudicantur.

¹² Regularis autem cantus est qui licterarum metas altrinsecus positas, bene compositus, non excedens quique suo bene consonans modo, non per compositionem reclamans, nec nimium ascendit superius, nec nimium descendit inferius, sed sua proprieate contentus et infra proprias litteras progrediens bene et congrue in licteris finalibus, scilicet manerie terminantur.

¹³ Quattuor namque sunt manerie cantuum, que apud Grecos propriis nominibus computantur, scilicet protus, deuterus, tritus, et tetrardus. ¹⁴ Protus autem dicitur primus, deuterus secundus, tritus tertius, tetrardus quartus. ¹⁵ Sub proto, id est sub prima maneria continentur duo toni vel modi, scilicet primus et secundus, sub deutero, i. sub secunda maneria duo, scilicet tritus et quartus, sub trito, i. sub tertia maneria duo, scilicet quintus et sextus, sub tetrardo, i. sub quarta maneria, duo, scilicet septimu<s> et octavus.

¹⁶ Appellantur autem quatuor dispares autentici sive principales, propter quam preheminentiam quam habent respectu aliorum, quia ultra finales suas se extollentes usque ad nonam licteram, sublimiores et acutiores cantus faciunt. ¹⁷ Ceteri vero appellantur plagales, quia circa finales suas discurrentes, submissores et graviores cantus reddunt.

¹⁹ Sub prima maneria ergo continetur protus autentus et plagalis eius. ²⁰ Protus autentus autem dicitur quasi auctoralis et primus, plagalis vero quasi de regione autenti est. ²¹ Terminatur enim in eisdem licteris in quibus et autentus sue manerie. ²² Sub secunda deuterus | autentus et plagalis eius <...>

²³ Prima itaque maneria duos habet finales, scilicet ·D· et ·a· acutum, secunda duos, scilicet ·E· grave et ·b· acutum, tertia duos,

scilicet ·F· grave et ·c· acutum, quarta unum solum, scilicet ·G· gravem.²⁴ Hec septem finales ex septem speciebus diapason oriuntur in quibus omnes cantus, qui per musicam notari possunt debent terminari.

²⁵ Sciendum tamen est quod nec infra ·D· grave, nec supra ·c· acutum aliqua debet esse finalis littera, quoniam nulla littera a ·D· grave inferius plenum descensum potest habere plagalium, nec aliqua lictera a ·c· acuta superius plenum ascensum prevalet autentorum. ²⁶ Littera igitur nulla debet esse finalis in qua non valeat autentus et plagalis terminari. ²⁷ Primus itaque et secundus tonus terminatur in ·D· vel in ·a·, tertius et quartus in ·E· vel in ·b· quadratum, quintus et sextus in ·F· vel in ·c·, septimus et octavus in ·G· tantum. ²⁸ Et quilibet tonus suam habet formulam et neumam.

²⁹ Primus tonus est quilibet cantus regularis autentice elevatus et depositus, terminatus in ·D· vel in ·a·. ³⁰ Primus tonus qui autentus protus dicitur, potest ascendere usque ad IX^{sam} litteram supra finalem et unam descendere sub finali, ut plenum diapason metis altrinsecus positis per quas non discurrat, sed tantummodo tangat et includat, ut X vocum modulatione formetur. ³¹ Procedit autem per tonos et semitonias hoc modo. ³² Formula primi toni :

to	to	se	to	to	se	to	to
C	D	E	F	G	a	b	b

³³ Tonus iste, quotiens tangit ·b· acutum, si ultra non progrediatur, ·b· rotundo utitur. Si vero ipsum transierit ut plurimum, per ·b· quadratum revertitur. ³⁴ Proprium est enim primi toni post quintam semitonium et sub finali tonum habere, frequenter et ylariter ad quintam ascendere, in ·D· vel ·a· finem tandem depone. ³⁵ Unde si primi toni cantum vis facere, facias eum frequenter ad quintam ascendere et sub finali unam descendere, et sic alterius modi non poterit iudicari.

³⁶ Ponuntur varietates omnium antiphonarum VIII modorum in illis tantum vocibus ultra quas aliquis ipsius modi cantus non

valeat habere principium. ³⁷Et primi quidem, i. autentici proti, ponitur varietas in quinta supra ipsius finalem, i. in ·a· acuta et ipsius plagalis, in tertia, i. in ·F· grave. ³⁸Et tertii, i. autentici deuteri, ponitur varietas in sexta supra finalem ipsius, i. in ·c· acuta, et ipsius plagalis in quarta, i. in ·a· acuta, ut proti. ³⁹Et quinti, i. autentici triti, ponitur l varietas in quinta, supra finalem ipsius, i. in ·c· in qua et tertii, et ipsius plagalis in tertia, i. in ·a· acuta, in qua et proti et plagalis deuteri. ⁴⁰Et septimi i. autentici tetrardi ponitur varietas in quinta supra finalem ipsius, i. in ·d· acuta et ipsius plagalis, i. quarta, i. in ·c· acuta, in qua et deuteri et triti.

⁴¹ Nullus itaque cantus debet inchoari supra litteram illam in qua suum *seculorum* habet incipere. Infra autem vel in eadem littera sive in finali vel sub finali debet habere principium prout ratio dictaverit vel voluntas facientis indicaverit. ⁴²Habet itaque primus tonus V principia, scilicet ·a· acutam, ·G· gravem, ·F· gravem, ·E· gravem et ·C· gravem. ⁴³Et secundum diversa principia diverse ponuntur varietates in antiphonis et in introitibus.

⁴⁴ Et singulorum tonorum quequidem varietates nichil aliud sunt quam *seculorum*, que eis deserviunt. ⁴⁵Dicuntur etiam predicte varietates differentie a quibusdam, eo quod singulos tonos a se invicem differre faciunt, et dicuntur differentie <...> ⁴⁶in responsoriis vero gradualibus <et> alleluia sunt versus quasi pro differentiis in quibus certas assignare regulas difficile esset valde, cum in singulis tonis principia versuum, precipue gradualia et alleluia, multiformiter varientur.

⁴⁷Habet autem primus tonus differentias V quibus deserviunt varietates VIII. ⁴⁸Differentie hic appellantur diversa principia antiphonarum, que inter se et a seipsis differunt, in finali tamen voce convenientiunt. ⁴⁹Varietates autem appellantur *seculorum* que eis deserviunt. ⁵⁰Prima differentia oritur ab octava ·a·. ⁵¹Et omnes antiphone habentes principium in octava ·a· si fuerint de primo tono, sine dubio hanc varietatem debent habere. ⁵²Tres differentie oriuntur a sexta littera ·F·, quarum unaqueque suam habet varietatem. ⁵³Et generaliter omnes introitus primi toni qui habent

diapente a ·D· gravi in ·a· acutam, si non incipient in ·C· vel in ·E· gravi, predictam debent habere varietatem.

⁵⁴ Notandum est quod si introitus fuerit de duobus tonis compositus, sicut sunt multi, ex illo magis intonandus est unde initium sumit, quia videlicet necesse est ab initio repeti, ut intonatione capiti conveniat introitus, ⁵⁵ ac contra responsoria, quia non a capite repetuntur sed a fine, de quo tono fuerint si finita, eidem tono versus aptatur.

⁵⁶ Item nota quod omnis cantus, qui plus sequitur legem autentorum in ascendendo, autento deputatur, ⁵⁷ quando plus sequitur legem plagalium in descendendo, plagali deputatur. ⁵⁸ Si autem cantus de duobus tonis compositus propter nimiam similitudinem vix potest iudicari utrum sit autentus vel plagalis, autenticus debet censeri potius quam plagalis, cum magister discipulo debeat anteferri.

34r

⁵⁹ Secundus tonus est quilibet cantus regularis, plagaliter elevatus et depositus, terminatus in ·D· vel ·a·. ⁶⁰ Potest autem secundus tonus, qui dicitur plagalis proti, usque ad sextam litteram a finali ascendere sed ultra non debet procedere, et usque ad quintam litteram sub finali descendere, ut plenum diapason metis altrinsecus positis, per quas non discurrat sed tantummodo tangat, includat, ut decem vocum modulatione formetur. ⁶¹ Procedit autem per tonos et semitonias hoc modo formula secundi toni :

to	to	se	to	to	se	to	to	to	
G	A	B	C	D	E	F	G	a	b

⁶² Hic quique levus est tonus et plane incedit. ⁶³ Primam nonam ·b· aliquando assumit, ad quem perraro, sicut dictum est, ascendet. ⁶⁴ Proprium est enim secundi toni usque ad quartam ascendere et a finali per tonum et semitonium vel duos tonos descendere. ⁶⁵ Unde si secundi toni cantum vis facere, facias eum circa finalem gravari, ad quintam raro et ponderose ascendere, statim infra se recolligere, duas voces ad minus sub finali descendere,

<in ·D> vel in ·a· finem deponere, et sic alterius modi non poterit iudicari.

⁶⁶ Primus et secundus tonus, licet in eisdem finalibus terminentur, scilicet ·D· gravi vel in ·a· acutum, et licet habent quedam principia communia, scilicet tertia ·C·, quarta ·D· et sexta ·F·, differunt tamen in elevatione et depositione,⁶⁷ nam secundus tonus habet ·C· primam vocem et primam litteram ·A· et secundam ·B·, quas non habet primus, et primus habet decimam ·c· et undecimam ·d· et duodecimam ·c·, quas non habet secundus.⁶⁸ De illis cantibus, qui non habent hanc elevationem vel illam depositio- nem, iudicandum erit hoc modo: si non adscendunt usque ad VIII^{sam} ·a· vel IX^{sam} ·b·, certissime de secundo tono erunt.⁶⁹ Erunt itaque VIII^a ·a· et IX^a ·b· utriusque communes ad quas, dum cantus ascendit, si diu in eis permaneat, sive ter et quater eas repercutiat, aut si in octava vel septima ·G· incipiat, modi primi erint.⁷⁰ Si non in inferioribus incipiat et secundum quantitatem autem rarissime ad VIII^{sam} ·a· ascendat, secundi erit modi, alioquin iuxta formularum varietates differentie discernentur.⁷¹ Dicto de secundo tono dicendum est de tertio.

⁷² Tertius tonus est quilibet cantus regularis, autentice elevatus et depositus, terminatus in ·E· vel in ·b· quadratum.⁷³ Potest autem tertius tonus, qui dicitur deuterus <autentus>, ascendere usque ad nonam litteram a finali, et unam descendere sub finali, ut plenum dyapason, metis altrinsecus positis, per quas non discurrat sed tantummodo tangat, includat, ut decem vocum modulatione formetur.⁷⁴ Procedit autem per tonos et semitonias hoc modo formula tertii toni.

34v

to	se	to	to	se	to	to	se		
D	E	F	G	a	b	c	d	e	f

⁷⁵ Hic tonus secundam nonam adamavit, quia ad eius finem diapente facit. Maxime autem ideo quia ad ipsius dyapason, i. ·e·, diatessaron reddit. ⁷⁶ Et quia prope finem tres habet tonos in ascensione vel descensione, potius insiliente quam gradiendo vadit, rarissime vero utitur ·b· rotundo. ⁷⁷ Proprium est autem tertii toni sub finali et supra sextam tonum habere. Utitur enim sexta pro quinta. ⁷⁸ Unde si tertii toni cantum componere cupis, ylariter facias eum ad sextam ascendere, supra sextam et sub finali vel semel tonum habere <vel> per duos tonos et semitonium ad finalem descendere, et in ·E· vel in ·b· finem deponere, et sic alterius modi non poterit iudicari. ⁷⁹ Dicto de tertio tono sequitur de quarto.

⁸⁰ Quartus tonus est quilibet cantus regularis, plagaliter elevatus et depositus, terminatus in ·E· vel ·b·. ⁸¹ Potest autem quartus tonus, qui dicitur plagalis deuteri, usque ad sextam lickeram a finali ascendere, et usque ad quintam sub finali descendere, ut plenum diapason, metis altrinsecus positis per quas non discurrat sed tantummodo tangat, includat, ut decem vocum modulatione formetur. ⁸² Procedit autem per tonos et semitonia regulariter hoc modo formula :

to	se	to	to	se	to	to	to	se	
A	B	C	D	E	F	G	a	b	c

⁸³ Hic tonus, quia facit proprie finem tres tonos, ideo IX^{am} secundam, scilicet ·b· quadratum assumit, maxime autem quia ad eius finem diapente facit, et ad ·B· gravi diapason reddit, quia tamen tonus planus est et in modulatione suaviter et plane incedit. ⁸⁴ Volunt quidam ei primam nonam attribuere quam utique valde modo debet assumere, quia proprium est quarti toni supra quartam a finali tonum habere. ⁸⁵ Proceditque ad decimam ·c·, habens post finem duos tonos deinde semitonium et tonum. ⁸⁶ Proprium est quarti toni supra quartam tonum habere, a finali per duos tonos descendere. ⁸⁷ Unde si quarti modi facere cantum

exoptas, per semitonium et duos tonos facias ad quartam vel semel adscendere, duas voces adminus a finali deponas, in ·E· vel in ·b· tandem terminari facias, et sic cantum quarti toni naturaliter te fecisse cognoscas.

35r

⁸⁸Hic potest cognoscere elevationem et depositionem autenticae. ⁸⁸Principia autem eius sunt sex, scilicet III^{a>} ·C·, IIII^{a>} ·D·,

V^{a>} ·E·, VI^{a>} ·F·, VII^{a>} ·G·, VIII^{a>} .a. et quandoque primam ·A·.

⁸⁹Habet autem IX differentias, que inter se et a seipsis differunt, in finali tamen voce convenientiunt, et secundum diversa principia diversas habent varietates. ⁹⁰Una differentia oritur a III^{a>} voce ·C· cui propria defuit varietas. ⁹¹Dicto de quarto tono sequitur de quinto.

⁹²Quintus tonus est quilibet cantus regularis, autentice elevatus et depositus, terminatus in ·F· vel in ·c·. ⁹³Potest autem quintus, qui dicitur tritus, usque ad nonam licteram supra finalem ascendere, et unam descendere sub finali, ut plenum diapason metis altrinsecus positis, per quas non discurrat sed tantummodo tangat, includat, ut decem vocum modulatione formetur. ⁹⁴Cum ad primam nonam ·b· sexta ·F· diatessaron reddat, et prima nona ·b· ad XIII^{am} ·f· diapente, [vel VI^{<o>} tono] ·b· rotundum frequenter optinet principatum. ⁹⁵Procedit autem per tonos et semitonia, hoc modo formula quinti toni.

se to to se to to to <se to>

E F G a b c d e f g

⁹⁶Nam quia ante finem tonum non habuerit nec in principio nec incessu post se respexit, et insilit multotiens per quatuor, ⁹⁷proprium est enim quinti toni a finali ad quintam per dictorum et semidictorum ylariter adscendere, sub finali semitonium, et supra quintam tonum habere. ⁹⁸Unde si quinti modi cantum facere volueris, per semitonium vel semel deponas a finali, et

postquam ei supra quintam tonum dederis, cantum quinti modi, si naturaliter inspexeris, te fecisse dubitare non poteris.⁹⁹ Dicto de quinto tono dicendum est de sexto.

¹⁰⁰ Sextus tonus est quilibet cantus regularis, plagaliter elevatus et depositus, terminatus in ·F· vel in ·c·¹⁰¹ Potest autem sextus tonus, qui dicitur plagalis triti, usque ad sextam litteram a finali ascendere sed ultra non debet procedere, et ad quintam sub finali descendere, ut plenum dyapason metis altrinsecus positis, quas non discurrat sed tantummodo tangat, includat, ut decem <vocab> modulatione formetur.¹⁰² Procedit autem per tonos et semitonias hoc modo formula sexti toni :

se to to se to to <to se to>
B C D E F G a b c d

¹⁰³ Hic frequenter tangit ·b· rotundum cum magistro suo, infra finalem suam ac devolvit et in ipsa repercutit, quod omnino refugit magister eius.

¹⁰⁴ Sexti toni proprium est per duos tonos semitonium ad quartam ascendere et a finali per semitonium et tonum descendere.

¹⁰⁵ Unde si sexti modi cantum faciendum agrediaris, per duos tonos et semitonium ad quartam sepius eleves, et per semitonium et tonum a finali vel semel deponas, finem tandem ei in ·F· vel in ·G· tribuas. ¹⁰⁶ Dicto de sexto, dicendum est de septimo.

¹⁰⁷ Septimus tonus est quilibet cantus regularis, autentice elevatus et depositus, terminatus in ·G·¹⁰⁸ Hic assumit nonam secundam ·b·, ut habeat duos tonos post finem, post quos semitonium et duos tonos.¹⁰⁹ Potest autem septimus tonus usque ad nonam litteram ascendere a finali, et unam sub finali descendere, ut plenum dyapason metis altrinsecus positis per quas non discurrat, sed tantummodo tangat, includat, ut decem vocum modulatione formetur.¹¹⁰ Procedit autem per tonos et semitonias hoc modo formula septimi toni :

to to to se to to se to to
 F G a b c d e f g a

¹¹¹ Proprium est autem septimi toni supra quintam et sub finali tonum habere, unde si tantum septimi toni cantum componere vis, supra quintam a finali et sub finali tonum ei tribuas et observes in ·G· finem deponere. ¹¹² Dicto de septimo, dicendum est de octavo.

¹¹³ Octavus tonus est quilibet cantus regularis, plagaliter elevatus et depositus, terminatus in ·G·. ¹¹⁴ Potest autem octavus tonus, qui dicitur plagalis tetrardi, usque ad sextam licheram a finali ascendere, sed ultra non debet procedere, et usque ad quintam sub finali descendere, ut plenum diapason metis altrinsecus positis, per quas non discurrat, sed tantummodo tangat, includat, ut decem vocum modulatione formetur. ¹¹⁵ Procedit autem per tonos et semitonias hoc modo formula octavi toni :

to to se to to to se to to
 C D E F G a b c d e

¹¹⁶ Octavus tonus perraro recipit primam IX^{<am>} ·b·, quam septimus tamen sepius recipit quam octavus. ¹¹⁷ Octavi autem toni proprium est supra quartam tonum habere, et a finali per tonum et semiditonum ad IIII^{<am>} primam speciem diatessaron facias ascendere, per tonum et semitonium a finali descendere. ¹¹⁸ In ·G· tandem ipsum facias terminari.

- 1** (armonia-vocum) Teste Boetio est armonia dulcis copulatio vocum (cf. GUIDO micr., ed. Smits van Waesberghe, app. crit. ad IV, 11, p. 105, ms. *F1, F2, F5*) |
 (armonia est cum... concordiam) cf. VOCAB. MUS. 3 (éd. Meyer / Nishimagi,
Tractatuli..., p. 252)
- 2** ISID. etym. 3, 20, 7
- 3** ISID. etym. 3, 20, 8
- 12** ANON. Lafage VIII, 6
- 13-15** ANON. Lafage VII, 2-3, 5
- 19-21** ANON. Lafage VII, 6-8
- 23-24** ANON. Lafage VII, 10-11
- 25-27** ANON. Lafage VII, 38-39
- 30** ANON. Lafage, IX, 6
- 34** ANON. Lafage, X, 7
- 41** ANON. Lafage, X, 2
- 65** ANON. Lafage X, 8

- 1** copulatio] compilatio *cod.*
- 4** copulatio] compilatio *cod.*
- 5** componuntur] computantur *cod.*
- 7** que] quod *cod.*
- 8** cui] qui *cod.*
- 12** contentus et] temptus *cod.*
- 13** tetrardus] tetracordus *cod.*
- 18** moderni] musici *cod.* | discipulum vel iuniorem] discipuli vel iuniores *cod.* |
 troporum] temporis *cod.*
- 19** protus autentus] protus. protus anotent *cod.*
- 20** autentus] autem *cod.* | quasi¹⁺²] quia *cod.* | auctoralis] auctonalis *cod.*
- 23** et a acutum] i. acut. *cod.* | E] G *cod.*
- 24** ex septem] XVII *cod.* | oriuntur] ponuntur *cod.* | debent] dicunt *cod.*
- 27** terminatur] terminatus *cod.*
- 30** sed] si *cod.*
- 31** semitonia] semitonios *cod.*
- 34** semitonium (espace blanc dans le ms).
- 35** poterit] poteri *cod.*
- 38** sexta] XI *cod.*
- 37** i. autentici] autentici i. *cod.*
- 38** i. autentici] autentici i. *cod.*
- 39** quinti-autentici] quarti autentici i. *cod.* | supra] siquidem *cod.*
- 40** i. autentici] autentici i. *cod.*
- 42** V] VI *cod.*

- 45 differre] differentie *cod.*
48 *add. marg.*
54 illo] illa *cod.*
56 autento] autento autento *cod.*
59 terminatus] elevatus *cod.*
60 tangat et includat *cod.*
61 C A B G E G a b .b. *cod.*
66 eisdem] eiusdem *cod.* | terminetur *cod.*
73 usque] vel quia *cod.* | D] B *cod.*
78 toni] toni modi *cod.*
80 ·E-] ·G- *cod.*
81 plene *cod.* | positus *cod.*
83 modulatione] modulatio *cod.*
84 primam] propriam *cod.*
87 exoptas] exoptas exoptas *cod.* | ·E-] ·G- *cod.*
88 III] III *cod.*
94 VI°] VI *cod.* | rotundum] rodundo *cod.*
98 deponas] ponas *cod.* | supra quintam] supra ut a finali *cod.* | cantum] tantum
cod. | devolvi... repercuti *cod.*
105 tandem tamen ei *cod.*
114 tetrardi] tretardi *cod.*
116 primam-tamen] primam IX IX b septimus cum *cod.*
117 semiditonum] semitonium *cod.*